Magna & Antiqua

CHARTA,

Quinque Portuum

Domini Regis

E T

Membrorum Eorundem.

CANTABRIGIÆ,
Excudebatur pro Majore, & Juratis
Haſtingiæ, 1675.

Magna & Antiqua Charta Quinque Portuum,

CArolus Secundus Dei Gratia Angliæ, Scotiæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex, Fidei Defenſor, &c. omnibus ad quos præſentes literæ noſtræ patentes pervenerint ſalutem. Inſpeximus literas patentes inclit. predeceſſor. noſtræ dominæ, Elizabethæ nuper Reginæ Angliæ, de confirmatione in hæc verba, ſcilicet, Elizabeth Dei Gratia Angliæ Franciæ, & Hiberniæ Regina, Fidei Defenſor, &c. Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus literas patentes

Car. II.

Eliz.

Mariæ tes dominæ Mariæ nuper Reginæ Angliæ, ſororis noſtræ procharíſſimæ de confirmatione factas in hæc verba : Maria Dei Gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Regina, Fidei Defenſor & in terra Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ ſupremum caput, Omnibus ad quos præſentes literæ noſtræ pervenerint ſalutem. Inſpeximus literas patentes domini Edvardi nuper Regis Angliæ ſexti fratris noſtri de confirmatione factas in hæc verba :

Ed. VI. Edvardus ſextus Dei Gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex Fidei Defenſor & in terra Eccleſiæ Anglicanæ & Hibernicæ ſupremum caput, Omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus literas patentes dom. Henrici nuper Regis Angliæ

H. VIII. octavi patris noſtri procharíſſimi de confirmatione fact. in hæc verba, Henricus Dei Gratia Rex Angliæ & Franciæ & Dom. Hiberniæ omnibus and quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus literas patentes Dom. Henrici nuper Regis Angliæ

H. VII. patris noſtri de confirmatione fact. in hæc verba : Henricus Dei Gratia Rex Angliæ, & Franciæ, & Dominus Hiberniæ omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus Cartam Dom. Ed. nuper Regis

Ed. IV. Angliæ quarti poſt conqueſtum factum in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ, & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis,

Vice-

Vice-Comitibus, præpoſitis Miniſtris & omnibus Ballivis & Fidelibus ſalutem. Inſpeximus Cartam confirmationis Dom. Richardi nuper Regis Angliæ ſecundi poſt conqueſtum factam in hæc verba: Richardus Dei Gratia Rex Angliæ & Franciæ, & Dominus Hiberniæ, omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus Cartam confirmationis Dom. E. nuper Regis Angliæ Avi noſtri in hæc verba: Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ & Acquit. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vice-Comitibus præpoſitis Miniſtris & omnibus Ballivis & Fidelibus ſuis ſalutem. Inſpeximus Cartam Dom. E. nuper Regis Angliæ patris noſtri in hæc verba: Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ & Dux Acquit. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vice-Comitibus, præpoſitis Miniſtris & omnibus Ballivis & Fidelibus ſuis ſalutem. Inſpeximus Cartam quam Dominus Edvardus quondam Rex Angliæ pater noſter fecit Baronibus quinque portuum in hæc verba: Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ & Dux Acquit. Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Prioribus, Comitibus, Baronibus, Juſticiariis, Vice-Comitibus, præpoſitis Miniſtris & omnibus Ballivis & Fidelibus ſuis ſalutem. Sciatis quod

Rich. II.

Ed. III.

Ed. II.

Ed. I.

pro fideli ſervitio quod Barones noſtri quinque portuum hactenus predeceſſoribus noſtris Regibus Angliæ & nobis nuper in exercitu noſtro Walliæ impenderunt & pro bono ſervitio ſuo nobis & hæredibus noſtris Regibus Angliæ fideliter continuand. in futurum nos conceſſiſſe & hanc Cartam noſtram confirmaſſe, pro nobis & hæredibus noſtris eiſdem Baronibus noſtris & hæredibus ſuis omnes libertates & quietancias ſuas, ita quod quieti ſint de omni theolonio & de omni conſuetudine videlicet ab omni Laſtagio, Tallagio, Paſſagio, Carriagio, Rivagio, Aponſagio, & omni wrec, & de tota venditione achato & reachato ſuo per totam terram & poteſtatem noſtram cum ſocca & ſacca & Thol & Them,& quod habeant Infangtheff, & quod ſint Wrec Free, & Wittfree, Laſtagefree, & Lovecopefree, & quod habeant Den. & ſtrond apud magnam Jernemouth ſecundum quod continetur in ordinatione per nos inde fact. & perpetuo obſervand. & etiam quod quieti ſint de Shires & Hundreds ita quod ſi quis verſus illos placitare voluerit ipſi non reſpondeant neque placitent aliter quam placitare ſolebant tempore Domini Henrici Regis proavi noſtri & quod habeant inventiones ſuas in mari & in terra, & quod quieti ſint de omnibus rebus ſuis & toto mercato ſuo ſicut noſtri liberi homines, & quod habeant honores ſuos in curia noſtra & libertates

Omnes libertates & quietancias ſuas ſcilicet.

ſuas

ſuas per totam terram noſtram quocunque venerint, & quod ipſi de omnibus terris ſuis quas tempore Domini Henrici Regis patris noſtri videlicet anno Regni ſui quadrageſſimo quarto poſſider. quieti ſint imperpetuum de communibus ſummonitionibus coram Juſticiariis noſtris ad quæcunque placita itinerantibus in quibuscunque Comitatibus hujuſmodi terræ ſuæ exiſtunt ita quod ipſi non teneantur venire coram Juſticiariis prædictis niſi aliquis ipſorum Baronum aliquem implacitet vel ab aliquo implacitetur. Et quod non placitentur alibi niſi ubi debuerunt & ubi ſolebant, ſcilicet apud Shepweiam, & quod habeant libertates & quietancias ſuas de cetero, ſicut ipſi & anteceſſores ſui eas unquam melius plenius & honorificientius habuerunt temporibus Regum Angliæ Edvardi, Willielmi primi & ſecundi, Henrici Regis proavi noſtri & temporibus Regis Richardi & Regis Johannis avi noſtri & Domini, Henrici Regis patris noſtri per Cartas eorundem ſicut Cartæ illæ quas iidem Barones noſtri inde habent, & quas inſpeximus rationabiliter teſtantur. Et prohibemus ne quis eos injuſte diſturbet neque mercatum eorum ſuper foriſacturam noſtram decem librarum ita tamen quod cum ipſi Barones in juſticia faciend. & recipiend. defuerint Cuſtos noſter, & hæredum noſtrorum quinque portuum qui pro tempore fuerit portus & libertates ſuas in defectu eorundem ingre- Shepw.

diatur, ad plenam juſticiam ibidem faciend. ita etiam quod dicti Barones, & hæred. ſui faciant nobis & hæred. noſtris Regibus Angliæ per annum, plenarium ſervitium ſuum quinquaginta & ſeptem Navium ad cuſtum ſuum per quindecem dies, ad noſtram vel hæred. noſtrorum ſumonitionem, conceſſimus etiam eiſdem de gratia noſtra ſpeciali quod habeant Utfangtheff, in terris ſuis infra portus prædictos eodem modo quo Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Comites, & Barones, habeant in maneriis ſuis in Comitat. Kanciæ, & quod non ponantur in Aſſizis, Juratis, vel recognitionibus aliquibus ratione forinſecæ tenuræ ſuæ contra voluntatem ſuam & quod de propriis vinis ſuis de quibus negotiantur quieti ſint de recta priſa noſtra (videlicet) de uno dolio vini ante malum & alio poſt malum. Conceſſimus inſuper eiſdem Baronibus pro nobis & hæredibus noſtris quod ipſi imperpetuum hanc habeant libertatem (videlicet) quod nos vel hæredes noſtri non habeamus cuſtodias vel maritagia, hæredum ſuorum ratione terrarum ſuarum quas tenent infra libertates & portus prædictos de quibus faciunt ſervitium ſuum antedictum & de quibus nos vel anteceſſores noſtri cuſtodia & maritagia non habuimus temporibus retroactis, prædictam autem confirmationem noſtram de libertatibus & quietanciis prædictis & alias conceſſiones noſtras ſequentes eis de gratia noſtra

Utfangtheff.

Non ponantur in Aſſiz.

Recta Priſa vini.

Maritag.

noſtra ſpeciali de novo fieri fecimus (ſalva ſemper omnibus regia dignitate) & ſalvis nobis & hæredibus noſtris placitis Coronæ noſtræ vitæ & membrorum, quare volumus & firmiter præcipimus pro nobis & hæredibus noſtris quod prædicti Barones & hæredes ſui imperpetuum habeant omnes libertates & quietancias prædictas ſicut Cartæ prædictæ rationabiliter teſtantur: & quod de gratia noſtra ſpeciali habeant Utfangtheff in terris ſuis infra portus prædictos eodem modo quo Archiepiſcopi, & Abbates, Comites, & Barones habeant in maneriis ſuis in Comitat. Kanciæ, & quod non ponantur in Aſſiſis, Juratis, vel recognitionibus aliquibus ratione forinſecæ tenuræ ſuæ contra voluntatem ſuam, & quod de propriis vinis ſuis quibus negotiantur quieti ſint de recta priſa noſtra (videlicet) de uno dolio vini ante malum & alio poſt malum, & quod ſimiliter imperpetuum habeant libertatem prædictam (videlicet) quod nos vel hæredes noſtri non habeamus cuſtodias vel maritagia hæredum ſuorum ratione terrarum ſuarum quas tenent infra libertates & portus prædictos de quibus faciunt ſervitium ſuum antedictum, & de quibus nos vel anteceſſores noſtri cuſtodias & maritagia non habuimus temporibus retroactis, prædictam autem confirmationem noſtram de libertatibus & quietanciis prædictis & alias conceſſiones noſtras ſequentes eis de gratia noſtra ſpeciali de novo fieri

Utfang-theff.

fieri fecimus (ſalva ſemper in omnibus Regia dignitate, & ſalvis nobis & hæredibus noſtris placitis Coronæ noſtræ vitæ & membrorum ſicut prædictum eſt hiis teſtibus venerabili patre Roberto portunenſe Epiſcopo Sacroſtæ, Romanæ Eccleſiæ Cardinale, fratre Gulielmo De South Priore Provinciat. fratrium prædicatorum in Anglia, Gulielmo De Valentia Avunculo noſtro, Rogero de Mortuo Mari, Rogero de Clifford, Magiſtro Waltero Stamell decano Sarum, Magiſtro Roberto de Scardeburgh, Archidiac. Eſtridings, Magiſtro Roberto de Sexton, Bartholomeo de Southley, Thoma de Wayland, Waltero de Hopton, Thoma de Normannel, Stephano de Penceſtre, Franciſco de Bonona, Johanne de Levetot, Johanne de Metingham, & aliis dat. per manum noſtram apud Weſtmonaſter. decimo ſeptimo die Junii Anno Regni noſtri ſexto Iſta Carta Rege præcipiente ante conſignationem ejuſdem recitata fuit in præſentia dictorum teſtium & aliorum de Concilio noſtro tunc ibidem præſentium, & audita examinata & concordat. in forma ſupradicta. Inſpeximus etiam literas patentes quas idem pater noſter fecit prædictis Baronibus in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ & dux Acquit. omnibus Ballivis & fidelibus ſuis ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Sciatis quod pro bono & fideli ſervitio quod dilecti

dilecti & fideles noſtri Barones & probi homines noſtri quinque portuum nobis & progenitoribus noſtris quondam Regibus Angliæ impenderunt & in futurum impendent conceſſimus eis pro nobis & hæredibus noſtris quod ipſi & eorum hæredes Barones eorundem portuum de cætero imperpetuum ſint quieti de omnibus Tallagiis & auxiliis nobis & hæredibus noſtris de corporibus propriarum navium ſuarum & earum articulo præſtand. Conceſſimus etiam eiſdem Baronibus & hominibus pro nobis & hæred. noſtris quod de legalibus rebus & mercimoniis quæ ipſos infra terram noſtram Hiberniæ debito modo emere contigerit nullus de rebus & mercimoniis ſit eorum particeps nec cum illis contra voluntatem eorundem Baronum & hominum inde participet quoquomodo. Conceſſimus inſuper pro nobis & hæredibus noſtris, quantum in nobis eſt Baronibus & probis hominibus ſupradict. quod omnes illi infra prædictos quinque portus oriundi licet ipſi terras vel tenementa extra libertatem eorundem portuum tenuerint per tale ſervitium quod maritagia eorum ratione minoris ætatis ipſorum ad nos vel hæredes noſtros pertinere deberent ſecundum legem & conſuetud. Regni noſtri Nihilominus juxta libertatem portuum ſe maritare poſſunt ſine occaſione vel impedimento noſtr. vel hæredum noſtrorum imperpetuum ſalvo jure alterius cujuscunque Et ideo vobis mandamus quod

De omnibus Tallagiis.

Mercimoniis in Hibernia.

Maritag.

De Moleſt.

quod prædictos Barones & homines contra has conceſſiones noſtras non moleſtetis in aliquo ſeu gravetis; In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes teſte meipſo apud ſanctum Albanum viceſimo octavo die Aprilis Anno Regni noſtri viceſimo ſexto. Inſpeximus etiam quaſdam alias literas patentes quas idem pater noſter fecit præfatis Baronibus in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ & Dux Acquit. omnibus ad quos præſentes literæ perveneriint ſalutem, conſiderantes, quod navigium noſtrum quinque portuum non abſque magnis ſumptibus & expenſis poterit ſuſtentari, ne navigium illud deficiat vel pereat in futurum, conceſſimus pro nobis & hæredibus noſtris quod omnes illi de quinque portubus prædictis & alii quicunque advocantes ſe de libertate eorundem & inde gaudere volentes contribuant (videlicet) quilibet eorum juxta facultates ſuas, ad faciend. ſervitium noſtrum & hæredum noſtorum de Navibus ſuis cum à nobis ac hæredibus noſtris hoc habuerunt in mandatis, in cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes, teſte meipſo apud ſanctum Albanum viceſimo octavo die Aprilis Anno Regni noſtri viceſimo ſexto, Nos autem conceſſiones & confirmationes prædictas ratas habentes, & gratas eas pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt

præfatis

præfatis Baronibus quinque portuum & hæredibus & ſucceſſoribus ſuis pro bono & fideli ſervitio ſuo quod nobis hactenus impenderunt & impendent in futurum concedimus & confirmamus ſicut Cartæ & literæ prædictæ rationabiliter teſtantur. Præterea volentes eiſdem Baronibus gratiam facere uberiorem conceſſimus eis pro nobis & hæredibus noſtris quod licet ipſi aliqua vel aliquibus libertatum vel quietanciarum in Dictis Cartis & literis content. hactenus plene uſi non fuerunt ipſi tamen Barones hæredes & ſucceſſores ſui libertatibus & quetanciis prædictis & earum qualibet futuris temporibus abſque impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque gaudeant & utantur hiis teſtibus, venerabilibus patribus, W. Wigorn. J. Bathon. & Wellen. & W. Exon. Epiſcopo, Gilberto de Clare Comit. Glouc. & Herteford, Johanne de Brittan. Comite de Richmond, Adamaro de Valentia Comite Pembroche, Hugone de le Spencer, Roberto filio Pagani, Edmundo de malo Lacu Seneſcallo hoſpitii noſtri & aliis dat. per manum noſtram apud Weſtm. viceſimo-ſexto die Julii Anno Regni noſtri ſeptimo, nos conceſſiones & confirmationes prædictas ratas habentes & gratas eas pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt præfatis Baronibus quinque portuum hæredibus & ſucceſſor. ſuis, pro bono & fideli

fideli ſervitio ſuo nobis & progenitoribus noſtris hactenus mipenſis & nobis & hæredibus noſtris in futurum impendend. ratificamus & tenore præſentium confirmamus, ſicut Cartæ & literæ prædictæ rationabiliter teſtantur. Et inſuper volentes præfat. Baronibus quinque portuum gratiam facere ampliorem conceſsimus pro nobis & hæredibus noſtris eiſdem Baronibus quinque portuum quod licet ipſi vel anteceſſores ſui aliqua vel aliquibus libertatum aut quietanciarum in dictis Cartis & literis contentarum hactenus plene uſi non fuerint, ipſi tamen Barones hæredes & ſucceſſores ſui libertatibus & quietanciis prædictis, & earum qualibet futuris temporibus abſque occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum, ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque plene gaudeant & utantur imperpetuum his teſtibus venerabilibus patribus S. Elien. Cancellario, J. Bathō. & Wellen. Theſaurar. noſtro Epiſcopis. Lyonello Clarenciæ, Johanne Lancaſter ducibus, Edmundo Comite Cant. filiis noſtris cariſſimis, Edvardo le de Spencer, Guydon. Bryan. Johanne Atley Seneſchallo hoſpitii noſtri & aliis dat. per manum noſtram apud Weſtm. primo die Julii Anno Regni noſtri triceſimo octavo. Inſpeximus etiam literas patentes ejuſdem Avi noſtri in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, & Dux Acquit. omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint

pervenerint ſalutem. Inſpeximus Cartam noſtram confirmationis, quam nuper ſub ſigillo quo tunc utebamur fecimus Baronibus quinque portuum noſtrorum in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, & Dux Acquit. omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus Cartam noſtram confirmationis quam nuper ſub ſigillo quo tunc utebamur fecimus Baronibus quinque portuum noſtrorum in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, & Dux Acquit. omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Inſpeximus literas patentes quas celebris memoriæ Dominus E. quondum Rex Angliæ Avus noſter fecit in hæc verba, Edvardus Dei Gratia Rex Angliæ Dominus Hiberniæ, & Dux Acquit. omnibus ad quos præſentes literæ pervenerint ſalutem. Conſiderantes quod navigium quinque portuum non abſque magnis ſumptibus & expenſis poterit ſuſtentari, ne navigium illud deficiat vel pereat in futuro conceſsimus pro nobis & hæredibus noſtris quod omnes illi de quinque portubus prædictis & alii quicunque advocantes ſe de libertate eorundem & inde gaudere volentes contribuant (videlicet) quilibet eorum juxta facultates ſuas ad faciend. ſervitium noſtrum & hæredum noſtrorum de navibus ſuis cum a nobis vel hæredibus noſtris hoc habuerunt in mandatis. In cujus rei teſti-

monium

monium has literas noſtras fieri fecimus patentes teſte meipſo apud Sanctum Albanum viceſimo-octavo die Aprilis Anno Regni noſtri viceſimo-ſexto, nos autem conceſsionem prædictam ratam habentes & gratam eam pro nobis & hæredibus noſtris concedimus & confirmamus, ſicut literæ prædictæ rationabiliter teſtantur & quia ſuper verbis generalibus in prædictis literis content. (videlicet) quod quilibet contribuant juxta facultates ſuas ante hæc tempora diſſentiones variæ ſunt ſubortæ nos ut Barones portuum prædictorum ſervitium prædictum nobis & hæredibus noſtris commodius facere valeant temporibus opportunis de conſilio Prælatorum Comitum & Baronum noſtrorum, ac Communitatum Regni noſtri in præſenti Parliamento noſtro convocat. conceſsimus pro nobis & hæredibus noſtris eiſdem Baronibus quinque portuum quod omnes illi de portubus illis & alii quicunque advocantes ſe de libertate eorum & inde gaudere volentes contribuant ad navigium & ſervitium prædictum manutenend. & faciend. de omnibus bonis & catallis ſuis tam extra libertatem quinque portuum præd. quam infra exiſtentibus, & ad hoc per Majores & Juratores portuum prædictorum & etiam per conſtabular. Caſtri noſtri Dover ſi neceſſe fuerit debite compellantur, & quod bona & catalla dictorum Baronum & aliorum ſive extra dictam libertatem fuerint ſive infra quæ pro navigio

navigio & ſervitio manutenend. & faciend. taxantur ad tallagia ſeu alia onera quæcunq; cum bonis & catallis hominum forinſecorum nullatenus taxentur. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes, Teſte meipſo apud Weſtm. viceſimo-quinto die Februarii Anno Regni noſtri primo. Nos autem Cartam noſtram prædictam ſub Sigillo quo nunc utimur ad requiſitionem ipſorum Duximus exemplificand. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes. Teſte meipſo apud Ebor. viceſimo ſexto die Februarii Anno Regni noſtri ſecundo. Nos autem conceſſiones & confirmationes prædictas ratas habentes & gratas eas pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt præfatis Baronibus Quinq; Portuum hæredibus & ſucceſſoribus ſuis Baronibus Portuum prædictorum pro bono & fideli ſervitio ſuo nobis & progenitoribus noſtris hactenus impenſo ac nobis & hæredibus noſtris impoſterum impendend. concedimus & confirmamus ſicut Cartæ & literæ prædictæ rationabiliter teſtantur, & prout iidem Barones & Anteceſſores ſui Barones Portuum prædictorum libertatibus & quietanciis prædictis huc uſq; rationabiliter uſi ſunt & gaviſi. In cujus rei teſtimonium has literas noſtras fieri fecimus patentes, Teſte meipſo apud Weſtm. viceſimo-ſecundo die Januarii Anno Regni noſtri primo, Nos ex humili inſinuatione dictorum Baronum & proborum homi-

Bona Advocant. Baronum quinq; portuum nullatenus taxentur cum bonis forinſecorũ

num quinq; portuum prædictorum & membrorum ſuorum accipientes quod licet in Magna Carta de libertatibus Angliæ (inter alia) continetur quod Barones de quinq; portubus habeant omnes libertates ſuas & liberas conſuetud. ſuas ipſi tamen de nonnullis libertatibus & liberis conſuetudinibus, necnon quietanciis & privilegiis quibus ipſi in portubus & membris prædictis à tempore confectionis Cartarum literarum & confirmationum prædictarum libere, pacifice, & quiete uti & gaudere conſueverunt occaſionem quarundam ambiguitatum obſcuritat. & dubitationum, ac ſiniſtrarum interpretationum quorundam verborum & terminorum generalium in Cartis, literis, & confirmationibus prædictis contentorum impediti fuerunt & exiſtunt in ipſorum Baronum & proborum hominũ depreſſionem & depauperationem, necnon in ſervitii navigii noſtri ibidem deteriorationem, & deperditum veriſimiliter manifeſtum. Nos igitur nedum præmiſſa verum etiam bona prona & gratuita ſervitia quæ prædicti Barones & probi homines quinq; portuum & membrorum prædictorum Omnibus progenitoribus noſtris & præſertim nobis in juris regni noſtri reductione impenderunt intime conſiderantes & ipſorum quieti & tranquillitati necnon bono publico in hac parte perſpicere volentes omnes donationes & conceſſiones prædictas necnon omnia & ſingula in Cartis literis & confirmationibus prædictis content. & ſpecificat. &

omnia

omnia & ſingula libertates quietancias privilegia & liberas conſuetudines quæ ipſi ac Anteceſſores & Prædeceſſores ſui progenitorum noſtrorum temporibus habuerunt & exercuerunt ac quibus uti & gaudere conſueverunt rata habentes & grata ea pro nobis & hæredibus noſtris quantum in nobis eſt acceptamus approbamus, ratificamus, & præfatis nunc Baronibus portuum & membrorum prædictorum & eorum hæredibus & ſucceſſoribus tenore præſentium adeo plene plane & integre ac ſi verbatim in præſentibus expreſſata declarata & manifeſtata fuiſſent damus concedimus & confirmamus volentes inſuper & concedentes pro nobis & hæredibus noſtris prædict. quod prædicti Barones & eorum hæredes & ſucceſſores portuum & membrorum prædictorum omnia libertates quietancias privilegia & liberas conſuetudines ſua adeo integre & plena reſtituantur ſicut ipſi anteceſſores aut prædeceſſores ſui ea tempore ſancti E. Confeſſoris, & W. Conqueſtoris nuper Regni Angliæ aut aliquorum aliorum progenitorum noſtrorum liberius plenius & honorificientius habuerunt. Ac licet iidem Barones & probi homines aut anteceſſores vel prædeceſſores ſui Barones & probi homines portuum & membrorum prædictorum ſeu alicujus eorundem aliqua vel aliquibus libertatum quietanciarum & privilegiorum in dictis Cartis & literis content. aut liberarum conſuetud. ſuarum aliquo caſu emergente hactenus

plena uſi non fuerint ſeu forſan abuſi fuerint ipſi tamen Barones & probi homines eorum hæredes & ſucceſſores libertatibus & quietanciis privilegiis & liberis conſuetudinibus ſuis quibuſcunq; taliter non uſis vel abuſis & eorum qualibet, de cætero plene gaudeant & utantur ſine occaſione vel impedimento noſtri vel hæredum noſtrorum Juſtic. Vicecomit. Coronatorum, Eſceatorum, aut aliorum Ballivorum ſeu Miniſtrorum noſtrorum vel hæredum noſtrorum quorumcunq; (aliqua interruptione quocunque tempore retroacto in contrarium habit. ſive fact. non obſtante.) Conceſſimus etiam pro nobis & hæredibus noſtris, & hac Carta noſtra confirmavimus Majoribus Ballivis & Juratis cujuslibet portus & membri portuum, & membrorum prædictorum in portubus & membris prædictis per Communes eorundem electis quod ſi aliquæ conſuetud. in portubus & membris illis ſeu aliquo eorundem hactenus obtentæ & uſitat. in aliqua parte difficiles ſeu defectivæ exiſtant aut aliqua in eiſdem portubus & membris ſeu eorum aliquo de novo emergent. ubi remedium prius non extitit ordinatione & emendatione indigeant iidem Majores Ballivi & Jurati cujuslibet portus & membri portuum & membrorum prædictorum et eorum hæred. et ſucceſſores de aſſenſu Comitatis illius portus ſivi membri portuum et membrorum prædictorum ubi hujuſmodi emendationem defectū ſive difficultatem fieri ſeu habere contigerit remedium

Non obſtant. interrupt. vel impedimento quocunq;.

remedium congruum bonæ fidei et rationi consonum pro communi utilitat. Baron. et proborum hominū et inhabitantium ejuſdem portus ſive membri necnon aliorum fidelium noſtrorum illuc confluentium apponere poſſint et ordinare quoties et quando eis videbitur expedire, Dum tamen ordinatio hujuſmodi nobis et populo noſtro utilis ac bonæ fidei et conſona ſit rationi ſicut prædictum eſt et quod libertates et liberas conſuetudines ſuas recordare poſſint coram nobis Juſticiariis et aliis miniſtris noſtris quibuſcunq;. Et ulterius ut iidem Barones talia ſervitia qualia præfatis progenitor. noſtris et nobis ante hæc tempora impenderunt aut pro poſſe ſuo meliora nobis et hæred. noſtris impender. animari poterunt in futurum alias libertates et quietancias planas et expreſſas eiſdem Baronibus et probis hominibus de novo dignum duximus concedend. Ac de uberiori gratia noſtra necnon ex mero motu et certa ſcientia noſtris conceſſimus et per præſentes concedimus pro nobis et hæred. noſtris quantum in nobis eſt eiſdem Baronibus, et probis hominibus quinque portuum prædictorum, Ac Baronibus et probis hominibus omnium et ſingulorum portuum et villarum membrorum eiſdem quinq; portubus ſeu eorum alicui annex. unit. et pertinent. quod ipſi eorum hæredes et ſucceſſores ac quicunq; reſidentes infra portus et membra prædicta, aut infra aliquos eorundem ſervitio et navagio prædictis, contribu-

Remedium congruum apponend.

entes quieti ſint imperpetuum de Theolonio, Panagio, Pontagio, Kingio, Muragio, Paſſagio, Laſtagio, Stallagio, Tallagio, Carriagio, Peiſagio, Picagio, Terragio, & Scotto, & Gildo, Hidagio, Scutagio, necnon ſect. Comitat. & Hundred (ac Laſtis Hundred) viſibus-francipleg & de denariis ad viſibus-francipleg. pertinent. necnon quibuſcunque denariorum ſummis reditibus ſeu præſtationibus pro aliquo præmiſſorum nobis hæred. vel ſucceſſoribus noſtris ſolvend. ac de finibus pro murder. & de communi miſerecordia quando contigerit Comitat. ſive villat. coram nobis vel hæred. noſtris ſeu coram nobis aut quibuſcunq; Juſticiariis, Officiariis ſeu Miniſtris noſtris hæredum ſeu ſucceſſorum noſtrorum in manum noſtram ſeu hæredum noſtrorũ incedere, ad omni hujuſmodi conſuetud. per totum Regnum & poteſtatem noſtram. Et etiã conceſſimus præfatis Baronibus & probis hominibus hæred. & ſucceſſor. ſuis quod ipſi imperpetuum habeant omnia bona et catalla waviat. vel quæ dicuntur Waiſe et etiã omnia bona et catalla quæ vocantur eſtray, necnon theſaurum invent. ſive inveniend. infra portus prædictos vel infra aliquod membrum eorundem ac bona et catalla vocat. manu opera capt. ſeu capiend. cum aliqua perſona ubicunq; infra portus & membra prædicta coram quocunq; Judice per eandem perſonam de advocata. Et quod iidem Barones et probi homines hæredes et ſucceſſores ſui Barones et probi homines

mines portuum et membrorum prædictorum habeant catalla felonum qualitercunq; dampnat. seu convictorum dampnandorum seu convincendorum felonum, et de escapia felonum, ac fines quoscunq; pro eisdem escapiis in quibuscunq; curiis nostris hæredum seu successorum nostrorum coram nobis vel hæredibus nostris Justiciariis et Judicibus nostris vel hæredum nostrorum quibuscunq; adjudicat. seu adjudicand. ac etiam catalla quarumcunq; personarum in exigend. pro prodictione, vel felonia posit. vel ponend. necnon catalla Utlagat. et Waviat. Utlagand. et Waviand. ac catalla qualitercunq; confiscat. omnium et singulorum Baronum et aliorum residentium quorumcunque infra portus et membra prædict. ubicunq; bona et catalla illa inveniri contigerint infra portus vel membra prædict. vel extra in Comitatibus Kanciæ et Sussex. seu eorum altero licet ipsi Officiarii seu ministri nostri vel hæredum nostrorum existant seu aliquis eorum existat. Et quod dicti Barones et probi homines et successores sui habeant imperpetuum Wreccam maris in quibuscunq; costeris et brachiis maris portubus et membris prædictis adjacentibus qualitercunq; contingens, ac omnia et singula ad hujusmodi Wrec. pertinent. sive spectant. Et quod ipsi hæred. et successor. sui per se vel per ministros suos hujusmodi catalla vocat. Waife Stray thesaurum inventum catalla vocat. manu opera catalla felonum qualitercunq;

dampnatorum et dampnandorum convictorum et convincendorm catalla quarumcunq; perſonarum in exigend. pro prodictione ſeu pro felonia poſitarum ſeu ponendarum catalla utlagat. utlagand. waviat. et waviand. et catalla qualitercunq; confiſcat. ac hujuſmodi Wreccum ac omnia ad hujuſmodi wreccum pertinent. ſive ſpectant. ſeiſire et capere poſſint ad opus eorum abſq; perturbatione moleſtatione ſeu impedimento noſtri vel hæred. noſtrorum, Juſticiariorum, Eſceatorum, Vicecomitum, Coronatorum ſeu aliorum Ballivorum noſtrorum vel hæred. noſtrorum aut aliorum quorumcunq; licet ea antea per nos vel hæred. noſtros aut aliquos Ballivos Officiarios ſeu miniſtros noſtros, vel hæred. noſtrorum ſint fuerunt; Conceſſimus etiam pro nobis et hæred. noſtris præfat. Baronibus et probis hominibus hæred. et ſucceſſor. ſuis in Suſtentationem navigii et ſervitii prædictorum quod quilibet Major, et Jurat. in quolibet portu et membro portuum et membrorum prædictorum ubi Major et Jurat. exiſtunt ac quilibet Ballivus et Jurat. in quolibet portu et membro eorundem portuum et membrorum ubi talis Ballivus per Communes hominũ portus ſive membri portuum et membrorum prædictorum eſt electus. Ac etiam Jurati in quolibet portu et membro prædictorum portuum et membrorum ubi nec Major, nec Ballivus per Communes hominum portus ſive membri

membri eſt electus, et eorum ſucceſſor. imperpetuum habeant omnes et omnimod. fines pro tranſgr. offenſis, miſpriſionibus, extortionibus, negligentiis, ignorantiis, conſpirationibus, concelament. regratariis, forſtellariis, manutenentiis, ambidexteris, cambypertiis, falſitatibus, deceptionibus, contemptibus, et aliis delictis quibuſcunq; Ac etiam fines pro licentia concordandi ac omnia amerciamenta redemptiones exitus et pœnas forisfact. et forisfaciend. annum diem vaſtum ſtrepum et omnia quæ ad nos ſeu hæredes noſtros pertinere poterunt de hujuſmodi anno, die, vaſto, et ſtrepo de omnibus et ſingulis Baronibus et aliis reſidentibus prædictis hæredibus et ſucceſſoribus ſuis ubicunq; tam infra portus et membra prædict. quam extra ipſos Barones et alios reſidentes hujuſmodi in quibuſcunq; curiis noſtris et hæred. noſtrorum fines facere et amerciare exitus et pœnas forisfacere annũ diem vaſtum ſtrepum et forisfactur. hujuſmodi adjudicari contigerit quæ fines amerciament. redemptiones exitus pœnæ annus dies vaſtum ſtrepum & forisfactur. ad nos & hæredes noſtros pertinere poterunt ſi ea præfatis Baronibus & probis hominibus & ſucceſſoribus ſuis conceſſa non fuiſſent. Ita quod dicti Majores & jurat. Ballivus & jurati ac etiam jurati in quolibet portu & membro portuum & membrorum prædictorum ut prædictum eſt electi per ſe vel per miniſtros ſuos hujuſmodi fines amerciament.

amerciament. redemptiones exitus pœnas & forisfactur. & omnia quæ ad nos hæredes & ſucceſſor. noſtros poterunt pertinere de anno die vaſto ſtrepo & forisfactur. prædict. levare percipere habere poſſunt ad commune proficuum & uſum dictorum Baronum hæred. & ſucceſſorum ſuorum ſine impedimento noſtri vel hæred. noſtrorum Juſticiar. aut ſuorum Ballivorum ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque. Et quod iidem Barones & probi homines hæred. & ſucceſſores ſui infra quemlibet portũ & membrum portuum & membrorum prædictorum prout ſibi placuerit habere poſſint Thewe pillorum atque Tumbrellum pro punitione malefactorum ibidem ac etiam quod ipſi et ſucceſſores ſui imperpetuum habeant Letas, et Lawdaies, cum omnibus proficuis ad Letas, et Lawdaies qualitercunque pertinent, ſive ſpectant. de quibuſcunq; reſidentibus infra libertatem prædictam. Et quod prædicti Barones et probi homines ac eorum hæredes et ſucceſſores ſui ex nunc habeant et quilibet eorum habeat omnes inventiones ſuas in terra et in mari libere pacifice et quiete abſque aliquo impedimento ſeu gravamine noſtri aut hæred. noſtrorum vel Conſtabulorum noſtrorum aut hæredum noſtrorum, Caſtri noſtri Dover cuſtodis quinque portuum prædictorum vel admiralli infra portus et membra prædict. abſque aliqua noſtra partitione inde faciend. aut aliqua parte nobis aut hæred. noſtris aut alicui alio

inde

inde reddend. Ac insuper conceſſimus pro nobis et hæredibus noſtris quantum in nobis eſt prædictis Baronibus et probis hominibus ac eorum hæred. et ſucceſſor. quod ipſi furcas infra quemlibet portum et membrum portuum et membrorum prædictorum erigi et judicium de malefactoribus quos ibidem capi et deprehendi contigerit juxta dictam libertatem de Infangtheff et Utfangtheff ac juxta conſuetudinem in portubus et membris prædictis ab antiquo uſitat. facere poſſint ſine occaſione impetitione vel impedimento noſtri vel hæred. noſtrorum Juſticiar. Coronatoum, Eſceatorum, Vicecomitum aut aliorum Ballivorum, ſeu miniſtrorum noſtrorum quorumcunque. Et quod prædicti Major et Jurat. Ballivus et Jurati, et etiam Jurati in quolibet portu et membro portuum et membrorum prædictorum prout ſuperius limitantur ex nunc imperpetuum habeant et teneant et habere et tenere poſſint coram eiſdem Majore et Juratis Ballivis et Jurat. ac etiam Jurat. per querelam coram eis levand. in cur. cujuſlibet portus ſive membri portuum et membrorum prædictorum in loco infra quemlibet hujuſmodi portum ſive membrum magis conveniens diebus et temporibus ibidem conſuet. tenend. omnia et omnimoda placita de et ſuper omnimod. actionibus, realibus, perſonalibus, et mixtis infra quemlibet hujuſmodi portum vel membrum per terras, vel per mare emergent. ac

perſonas

perſonas verſus quas hujuſmodi actiones perſonales in dictis curiis proſequi et moveri contingent. per eorum corpora attachiari et priſonæ committere et prædicta omnia & ſingula placit. audire et terminare, et proceſſus & executiones judicialiter juxta conſuetud. portuum prædictorum fiend. inde facere. Ita quod nec Conſtabularius noſter & hæred. noſtrorum prædictorum Caſtri Dover, nec Cuſtos quinque portuum prædictorum, nec Admirallus eorundem, nec aliquis eorum locum tenens, nec Deputatus ab eo de ſeu ſuper aliquo hujuſmodi placito infra portus & membra prædicta aut de aliquo alio placito ſeu de aliqua re ſeu materia infra fines & limites eorundem portuum & membrorum per terras, nec per mare, nec per aquam dulcem ſeu limites vel ripas alti maris fact. ſive emergent. aut faciend. ſive emergend. aliqualiter ſe intromittat nec hujuſmodi portum ſive membrum ea de cauſa quoviſmodo ingrediatur niſi in defectu juſtitiæ hujuſmodi, Majoris, Ballivi, & Jurat. & ſi hujuſmodi defectum evenire contigerit tunc volumus tantummodo prædictum cuſtodem prædictorum quinque portuum pro tempore exiſtent. per loquelam ſive petitionem ſibi per partem ſentientem ſe fore gravatam inde faciend. hujuſmodi portum ſive membrum de tempore in tempus ingredi & placitum hujuſmodi defectum tangens coram eo infra eundem portum ſive membrum in præſentia hujuſmodi Majoris Ballivi & Jurat. venire facere

facere & ibidem placitum prædictum examinare, & hujuſmodi defectum ſi quis fuerit corrigere & emendare, ac omnibus & ſingulis quibuſcunque inde intereſſe habentibus Juſtitiæ complement. tum celeritate juxta legem & conſuetudines ibidem miniſtrare. Et quod prædicti Major & Jurat. Ballivus & Jurat. ac etiam Jurati cujuslibet portus & membri portuum & membrorum prædictorum modo & forma ſupradictis electi imperpetuum habeant cognitiones tam omnimod. placitorum in actionibus ſupradictis quam omnimod. placitorum Coronæ infra quemlibet hujuſmodi portuum ſive membrorum quoviſmodo emergent. ac plãtem audiend. & terminand. omnia placit. Coronæ noſtræ & hæred. noſtrorum tam ad ſectam noſtram ſive hæred. noſtrorum, quam ad ſectam aliorum conquerentium (placitis de omnimod. duntaxat exceptis) quæ coram cuſtode quinque portuum prædictorum pro tempore exiſtent. vocat. ſibi Major Ballivis et Jurat. eorundem portuum juxta conſuetud. in eiſdem portubus uſitat. apud Shepweyam pro nobis et hæred. noſtris quantum in nobis eſt ibidem audiri et terminari volumus ſecundum legem et conſuetud. curiæ prædictam. Et quod hujuſmodi Major et Jurati Ballivus Jurati ac etiam Jurati prout ſuperius limitantur omnia & ſingula placita ſupradicta (except. præexcept.) habeant et teneant coram eis infra quemlibet hujuſmodi portum ſive membrum in cur. ejuſdem

portus

portus ſive membri & omnia placita hujuſmodi audient & terminent & judicia inde reddita juxta legem & conſuetud. Regni noſtri Angliæ vel conſuetud. prædictorum quinque portuum ad ipſorum electionem exequantur. Et inſuper quod nullus prædictorum Baronum proborum hominum aut hæred. vel ſucceſſorum ſuorum, aut reſidentium prædict. per aliqua Warranta præcepta ſeu mandata Conſtabular. Caſtri prædict. aut Cuſtodis quinque portuum prædictorum ſeu Admiralli infra portus & membra prædicta ad reſpondend. ſuper aliquo hujuſmodi placito de cætero capiatur areſtetur ſeu attachietur, nec ea de cauſa coram eodem Conſtabulario Cuſtode ſive Admirallo vel ejus Locumtenente ſive deputato comparere aliqualiter teneatur niſi in defectu (juſtitiæ tantum ut prædictum eſt) Et quod nullus Baronum proborum hominum aut hæredum ſuorum ſive hujuſmodi reſidentium ad ſeu in ſervitium noſtrum ſeu hæredum noſtrorum ſuper mare faciend. niſi ad ſervitium ipſorum Baronum nobis & hæred. noſtris cum navibus ſuis ut prædict. faciend. per aliquem Officiar. ſeu miniſtrum noſtri vel hæredum noſtrorum de cætero capiatur attachietur ſeu areſtetur quoviſmodo. Conceſſimus inſuper præfatis Baronibus & probis hominibus quod ipſi hæred. & ſucceſſores ſui & alii reſidentes quicunque eorum hæredum & ſucceſſor. infra portus & membra prædicta ad ſervitium & navigium

navigium prædict. contribuentes vel qui erunt contribuentes imperpetuum ſint quieti de omnibus auxiliis ſubſidiis contributionibus tallagiis & quotis quibuſcunque quæ ab ipſis ſeu aliquo ipſorum ratione terrarum tenementorum & reddituum aut bonorum & catallorum ſuorum ſeu alicujus ipſorum quæ jam habeant & exnunc ſint habituri per nos ſeu hæredes noſtros aut Ballivos, ſeu miniſtros noſtros, ſeu hæredum noſtrorum exigi deberent ſeu poſſunt ſi prædicta conceſſio eis fact. minime extitiſſet. Et quod quandocunq; communitates Comitat. Regni noſtri Angliæ aut Cives & Burgenſes Civitatum & Burgorum dict. Comitat. ipſius Regni decimam, quintam decimam ſeu aliam quotam vel taxam quamcunque de bonis ſuis mobilibus aut terris tenementis ſeu redditibus ſeu nobis hæred. ſeu ſucceſſoribus noſtris qualitercunque conceſſerunt ſeu nos vel hæred. noſtri decima noſtra per Angliam fecerimus taliari Barones prædict. eorum hæred. & ſucceſſores ac portus & membra prædicta terras tenementa ac bona & catalla Baronum hæredum & ſucceſſorum ſuorum ac aliorum reſidentium prædictorum & eorum cujuslibet ſive infra libertatem dictorum portuum & membrorum fuerint ſive extra in Com. Kanc. & Suſſex. ad opus noſtrum vel hæredum noſtrorum non taxentur nec aliquid de decimis, quintis decimis, & aliis quotis ſeu tallagiis prædictis quoquomodo ad opus noſtrum vel hæredum noſtrorum levetur nec iidem

Sint bene quiet. de omnibus ſubſid. &c.

Infra ſive extra in Com. Kanc. & Suſſex. non taxentur.

iidem Barones hæred. ſeu ſucceſſores ſui aut alii reſidentes prædicti in terris tenementis ſeu bonis ſuis prædictis hiis occaſionibus diſtringantur moleſtentur in aliquo ſeu graventur ſed quod ipſi eorum hæredes & ſucceſſores de omnimod. decimis, quintis decimis, & aliis quotis & tallagiis hujuſmodi imperpetuum ſint quieti, licet ipſi ſint hujuſmodi conceſſionibus partes agentes vel eorum aliquis pars agens ſive concedens. Et ulterius conceſſimus pro nobis & hæred. noſtris præfatis Baronibus & probis hominibus quod nullus eorum aut hæred. ſeu ſucceſſor. ſuorum de cætero ponatur in aliquibus aſſiſis juratis recognitionibus attinctis ſeu aliis inquiſitionibus quibuscunque extra portus & membra prædicta licet tangunt nos vel hæred. noſtros nec quod ſit neque fiat aſſeſſor taxator ſeu Collector decimarum, quintarum decimarum aut alicujus inde parcellæ ſeu aliorum ſubſidiorum tallagiorum taxarum ſeu quotarum quarumcunque nobis & hæred. noſtris conceſs. ſive concedend. nec Collector rationabilis auxilii ad primogenitum filium noſtrum & hæredum noſtrorum militem faciend. aut ad primogenitum filium noſtrum vel hæred. noſtrorum maritand. nec eorum aliquis ordinetur ſeu aſſignetur conſtabularius Ballivus aut alius Officiarius ſeu miniſter noſter aut hæredum noſtrorum extra portus & membra prædicta contra voluntatem ſuam & in caſu quod aliquis prædictorum Baronum proborum

proborum hominum aut hæred. vel ſucceſſorum ſuorum ad aliquid onerum Officiarum ſive occupationum prædictorum vel ad aliquid aliud Officium ſubeund. faciend. vel occupand de cætero eligatur ordinetur aut aſſignetur contra vim formam & efficaciam præſentis conceſſionis noſtræ quanquam ipſe Officia ſive onera illa ſubire facere vel occupare recuſaverit ipſe tamen ea occaſione finem contemptum forisfactur. deperditum vel dampnatum aliquid in corpore ſeu bonis ſuis nullatenus incurrat. Sed quod præſentes literæ noſtræ per eum coram quibuſcunque Juſticiariis & Miniſtris noſtris & hæred. noſtrorum in quocunque loco de recordo per totum Regnum noſtrum Angliæ demonſtrat. ſuper demonſtrationem illam in ſuis robore permaneat & efficaciam & eis allocent. abſq; aliquo proceſſu inde ulterius proſequend. Et quod quandocunque contigerit aliquas inquiſitiones coram Conſtabular. noſtro Caſtri noſtri Dover aut Cuſtode quinque portuum prædictorum vel Admirallo eorundem inquiſitiones hujuſmodi habeantur capientur & fiant infra illum portum ſive membrum portuum & membrorum prædictorum ubi illi de portubus & membris illis per quos inquiſitiones illæ captæ erunt morantur & reſident & non alibi, quodque ipſi inquiſitionibus prædict. poſiti & impannellati ad onus ſuum capiend. vel verdictum ſuum dicend. portum ſive membrum hujuſ-

modi exire vel aliquem alium locum adire non teneantur, compellantur, neque arctentur quomodo, nec ea occasione contemptum amerciamentum pœnam forisfactur. seu deperditum aliquod erga nos vel hæredes nostros incurrant nec eorum aliquis incurrat quovismodo: quare volumus & firmit. præcipimus pro nobis & hæred. nostris quod prædict. Barones & probi homines portuum prædictorum hæred. & succeſſor. ſui habeant omnes & ſingulas libertates & quietancias prædictas ac omnia præmiſſis per nos eiſdem de nova conceſſa & eis & eorum quolibet futuris temporibus abſque impedimento noſtri vel hæred. noſtrorum vel miniſtrorum noſtrorum quorumcunque gaudeant & utantur imperpetuum his teſtibus venerabili præſule Tho. Archiepiſcopo Cantuar. totius Angliæ Prim. Chariſſimis Fratribus noſtris Georgio Clarenciæ, & Richardo Glouc. Ducibus venerabilibus prioribus Geo. Exon. Cancellar. noſtro Angliæ & T. London. Epiſcopis at Richardo Warr & Sarum & Johanne Northumber. Comitibus, Conſanguineis noſtris Chariſſimis, nec non dilectis & fidelibus noſtris magiſtro Roberto Stillington Cuſtodi privati Sigilli noſtri, & Waltero Blunt militi Theſaur. noſtro Angliæ & aliis dat. per manum apud Weſtm. viceſimo tertio die Martii Anno Regni noſtri quinto. Nos autem Cartas & literas prædictas ac omnia & ſingula in eiſdem content. rata habentes & grata

quare volumus.

abſque impedimento.

